Msc. Dresd.
K 94

SLUB
Wir führen Wissen.

Monachi Vessrensis icones et res gest. gentis Hennebergicae.

Apographum Ioannis Ch. Junckeri exaratum.

Digitalisat: id 1739133196

Sächsische Landesbibliothek in Dresden

Dieser Band wurde 2007 durch Bestrahlung sterilisiert. Verfärbungen stellen keine Gefahr dar.

Handschrift Nr. K 94

Die Benutzung dieser Handschrift ist nur unter der Bedi[illegible] der Entleiher der hiesigen Bibliothek ein Stück seiner auf die Handschrift bezüglichen Veröffentlichung geschenkweise überläßt, sofern die Bibliotheksverwaltung nicht ausdrücklich auf die Überlassung verzichtet. Zum Durchzeichnen oder zur Herstellung von Lichtbildern ist besondere Erlaubnis einzuholen.

Belehrende Auskünfte oder Hinweise auf der Bibliotheksverwaltung unbekannte Veröffentlichungen über diese Handschrift werden dankbar

III/9/73 - Jt 2465 I 353

SLUB
Wir führen Wissen.

SLUB
Wir führen Wissen.

67

Das Lagen no 1.

Genealogia

derer Grafen zu Henneberg, so in diesem buche abgemahlet.

No 2. Poppo, ist gestorben Ao 1078. gemahelin Hildegardis.

3 Poppo, beatrix gemahelin. — 4 Gotwald, gemahelin Luckardis.

5 Berthold, gemahelin Bertha.

6 Poppo, gemahelin Sophia.

Berthold, vide Spangenb. L. II. c. 21. — 7 Poppo, gem. Elisabeth und Jutta.

Heinrich

Heinrich. — 8 Berthold, gem. Kunigundis.

Heinrich 10. — 9 Berthold und Sophia.

12 Berthold Johanniter. — 11 Berthold, gem. Adelheit.

13 Heinrich, Jutta. — 14 Johann und Elisabeth.

15 Heinrich und Mechtildis.

16 Wilhelm . und Anna.

17 Wilhelm I. und Catharina.

18 Wilhelm II. und Margaretha

19 Wilhelm III. und Anastasia

Johannes I. Abt zu Fulda.

pag. 51.

Decet Viros Virtuosos praecedentium facta
saepe ad memoriam reuocare, vt bonis exemplis
discant dignis operibus insistere, et in malis
valeant perditionis declinare; maxime id filium
decet, qui de parentum nobilitate et virtutum bo-
nitate gloriari quaerit. Huius rationem assignat
Caius Marius, et recitatur a Salustio in Jugurtha.
Quanto maiores alicuius fuerunt nobiliores, tanto
maius est vituperium ei, qui ab eis descendens per
vitium se vilissimum facit. Idcirco, INCLYTE PRIN-
CEPS WILHELME, qui propriam regitis terram
delectabiliter, supra modum amplecti praesentem
libellum, superioribus diebus ex vastis collectionum
campis in vnum reductum, dignemini. Is reuera
parentum maiorumque vestrorum, ex quibus propagati,
originem, profectum et defectum partim significabit
declarabitque.
Et quia omnipotens Deus populi sui veram domi-
nationem instituit caput, quo regendi patriam in-
habitat sapientia, omnibusque membris abunde
defertur vigor et prouidentia, inprimis vestra do-
minatio aduertat, per nullam aliam rem parentes
gloriam et honorem apud Deum et mundum
adeptos, quemadmodum per amorem et dilectio-
nem, et multo commendabilius, quam per timorem
et tremorem (Terentio teste) errat longe mea
sententia, qui imperium omne grauius aut
stabilius esse putat, quod vi fit, quam quod ami-
citia iungitur. Hinc Augustus Caesar Octauianus,
qui

qui totius mundi fuit imperator, amabat Rempublicam, suamq filiam appellabat, (sicut recitat Macrobius in Saturnalibus) nec vnquam Dominus dici, aut speciali vocari nomine, verum Pater Patriae vocari voluit, ad ostendendum, quod non per terrorem, sed amorem suum, regere voluit populum, quemadmodum pater suos viscerose regit filios. Et de Julio praedecessore suo, ut dicit Suetonius Tranquillus Libro de duodecim Caesaribus, nihil eum ad maiorem partem mundi conquirendam plus iuvisse, quam amor suorum militum. Virgilius poëtarum etiam maximus morem bonum Romanorum Reipublicae gubernandae fuisse exclamat, quod amabant, et suis parcebant debellando inimicos. 5. Aeneid. Parcere subiectis et debellare superbos. Sunt exempla Principum innumera, quorum principatus stabilis fuit, quoniam ad mortem usq populum suum dilexerunt, de quibus recitat Valerius Lib. 5. ca. 4. puta de Decio, Metello, Curtio, Scipione, Codro et Themistocle. Et in sacra scriptura legimus de Eleasare, Juda Maccabeo, Dauid, et aliis compluribus. Amor in Principe, tanquam pia mater, nobilissimas utique generat filias, quae principem securissime custodiunt; (Seneca testante) Si vis amari, ama; sic amor Principis generat amorem populi, et per oppositum odium con-

cipitur

cipitur odium. Hinc amor generat securitatem, quemadmodum, si Princeps amat suum populum, (sic aiebam) generat in eis amorem et dilectionem, hoc est, quod ipsum amabunt, et si amaverint, non est inimicus, qui ei nocere possit, et sic generatur securitas. Opposito modo dicendum de Tyranno, qui suos odio habet subditos, securus esse non potest, ut habet Aristoteles, cui necesse est, ut melius sibi caveat a propriis, quam extraneis. Id verum cernitur in Tyrannis, tum Romanis, tum Atheniensibus, etiam nostris iam aperte cognoscitur partibus. Quis ignorat Tyrannum ducem (si fas est nominari) Eberhartum in Wurtenbergk, a suo expulsum dominio? et si quaeratur per quos? ob quam causam? Revera prorsus, et ob sua facinorosa, quae non Principem sed tyrannum decent, acta. Quid in Udalrico successore suo actum sit, nullus ignorat. Is velut alter impietatis auctor, pietatis praedo, inimicus innocentiae, hostis naturae, suis peior, pessimus sibi, in altum erectus, ab alto cecidit nobilitatis fastigio, nos occidit in corpore, se in fama, in anima, in nobilitatis strenuitate, latronis nomen acquisivit, dum probum et sui corporis velut unicum

cu-

custodem fidelissimum N. de Hutten propria manu
gladio transfodit ac cingulo suspendit, proh! dedecus
inhumanissimum nec a iusto iudice inultum relin-
quendum. Nec vero dici unquam solet patriae
dominus, quem merito proprius odit populus. Haec
exemplariter inserui, ad propositum redire dignum
et iustum censeo, gloriosum esse fructum, quem regina
pia mater, utpote amor Principis, parit, scilicet,
securitatem. Tertia filia est misericordia et
clementia; haec principaliter matris suae lectum
servat, qui est lectus iustitiae, ut testatur Sapiens:
Clementia roboratur thronus Principis, qui syncerum
erga populum gerit amorem, et in tribulationibus et
indigentiis misericordiam et compassionem clemen-
tem. Hinc generatur liberalitas, quae nec nimis
larga debet esse, nec stricta, sed dare quod expedit,
et quomodo et quibus, praecipue Deo, eius ministris,
qui Dei sustentant fidem, hinc debetur laus et glo-
ria apud coelestes et terrestres, iuxta illud sapientis
Ecclesiastici 44. gloriosum versiculum, laudemus viros
gloriosos, dominantes sibi ipsis et hostibus in posteri-
tatibus suis, ratio, quia multam gloriam, id est,
multa opera virtuosa, quibus gloria debetur, fecit
Deus per viros gloriosos, magnificentia sua. Fue-
runt

runt etenim homines magni virtute agendi et pa-
tiendi prudentia praediti ad discernendum et diligendum
bona, et vitandum pericula in virtute prudentiae.
Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam
adepti sunt, et in diebus habantur in laudibus, corpora
sanctorum in pace sepulta sunt, et nomina eorum
vivent in generationes et generationes, sapientiam
ipsorum scilicet in praecavendo, et aeterna quae sa-
pida eligendo, narrent populi, et laudem eorum nun-
tient Ecclesiae ab eis fundatae et dotatae. O no-
bile et insigne Monasterium Vessaranum, ne obliviscaris
tuorum fundatorum. O Ecclesia Smalkaldensis inter
Collegiatas nec minima, praedica virum gloriosum
Bertholdum, tuum Benefactorem, apud altissimum
aeterna retributione esse dignum, qui venustissimi
Almaniae Rhetoris ac imperatoriae maiestatis Ora-
toris nihil pendet titulum. O Sancta et excellens S.
Johannis religio, quae propugnaculum Ecclesiae Catho-
licae dici meruisti, extolle vocem, recole Patris et
fundatoris tui Bertholdi piam devotionem, bonitatem
et humilitatem, qua Deum coluit, tibi per funda-
tionem benefecit, et per professionem ac octogenae
crucis signo sese humiliter subiecit.

Borro

BVRIO HILDEGARDIS

SLUB
Wir führen Wissen.

Boppo iste ex Hildegarde, quae fuit filia Ludovici mit dem bart, & soror Ludovici des Dyringers, Comitis in Schonbergk, duos habuit filios, Bopponem qui & Patri successit, & Gottwaldum. Gottwaldus obiit 4. Cal. Junii Anno 1143. sepultus in Reinhersbronn.

Boppo pater in atrocissimo bello, quod movit Henricus IV. Rex contra Rodolphum, prope Mellerstat juxta Streu, quo Rex fugam dedit, & Boppo de Hennenbergk, vir mirae fortitudinis, multis vulneribus sauciatus, fataliter occubuit Anno 1078.

Postea Hildegardis Thimoni, Comiti de Nordeck, legitime copulata, genuit ex eo filium Gebehardum, qui destruxit castrum Rußberck, & ex eo fundavit cellam S. Blasii, & fundavit Ecclesiam S. Udalrici in Heinrichs, item Ecclesiam S. Nicolai in Albrif, & obiit Anno 1115. Cal. Febr. sepultus in Reinersbron.

Boppo

SLUB
Wir führen Wissen.

Bosso iste, cuius dominium incepit Anno 1078. habuit ex Beatrice tres filios, per quos dominium fertur divisum, Bopponem de Irmelhusen, Ludovicum de Frankenstein, et Gottwaldum de Wasingen, qui sibi successit. Obiit idem Comes Anno 1118. 13. Kal. Sept. et sepultus in Reinbersbron, et Beatrix eius legitima obiit eodem die, et in castro Hennenbergk, relinquens unicum filium superstitem XIII annorum, anno 1120.

GOTTWOLDUS
primus. obiit A°. 11..

LUCKARDIS.

GOTTWOLDVS ex Luckarda Ducissa Bavariae, Palatina Rheni, quatuor habuit filios, Bopponem, qui in profectione Friderici Regis Romanorum obiit in terra sancta, ao 1115. Bertholdum, qui sibi successit, Gebehardum, Episcopum Herbipol. qui obiit anno 1158. in concilio Lugdunensi, per Gregorium decimum hic fuit depositus; et Guntherum Episcopum Spirensem. Iste Gottewoldus incepit Monasterium Vessera, Praemonstratensis Ordinis, anno 1131. ad instantiam uxoris suae Luckardis, et anno 1135. obtulit illud ad altare S. Petri Bambergae. Illud quoque Monasterium iam erectum et constructum dedicatur et consecratur a S. Ottone Episcopo Bambergensi, anno 1138. qui Episcopus anno sequenti feliciter migravit ad dominum.

Forma confirmationis Ottonis talis est: In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Otto S. Bambergensis Ecclesiae Episcopus Dei gratia, quia facile in contemtum res ducitur, cuius origo nescitur, debet ergo rerum gestarum series literis imprimi, ne ad posteros memoria possit elabi. Proinde notum esse cupimus tam futuris quam praesentibus, qualiter Gotebaldus, Comes de Hennenberg, cum uxore Luckarda ex unanimi consensu haeredum suorum, pro amore suorum, Christi, et propter sanctae vitae perennitatem, quendam proprietatis suae locum, qui a nomine vicini fluminis Vessera nomen accepit, manu emisit, et divino servitio assignavit, eundemque regularium clericorum monasterio initians sub beatae Mariae Virginis patrocinio dedicari postulavit. Volens autem eandem cellam ad alium locum praestantiorem habere respectum, a quo etiam defensionis et patrocinii posset habere solatium, eam sub altare Petri Bambergensi Ecclesiae manifesta donatione contradidit, cum omnibus mobilibus et immobilibus, ad ipsum locum pertinentibus, areis, aedificiis, cultis et incultis, pratis, piscinis, silvis, venationibus,

bus, aquis, aquarum decursibus, piscationibus, molendinis, viis et inviis, et statuentes, ut quaecunque possessiones, quaecunque bona, in praesentiarum ac legitime eadem cella possidet, aut in futurum concessione Pontificum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante domino, poterit adipisci, firma in perpetuum eidem loco et fratribus inibi Deo servientibus permaneant. Sane advocatiam eiusdem loci praefato Comiti Gevehardo concessimus, ea vero conditione, ut eam administret solo divinae remunerationis intuitu, et nullorum penitus temporalium respectu commodorum. Decrevimus etiam, ut nulli omnino hominum liceat ipsum locum perturbare temere, vel religionis ordinem, aut eius institutionis formam, quam nunc habet, permutare. Si quis autem huic institutioni nostrae ausu temerario contraire temptaverit, si commonitus suum reatum non correxerit, sciat, se vinculo nostri banni ligatum, et cum hac catena ante tribunal aeterni Iudicis pertrahendum.

Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, veniatque ei de rore coeli benedictio, et perpetua in regno coelesti cum electis Dei donetur cohabitatio. De qua re ut nullus reddatur ambiguus, praesentem chartam fecimus inde conscribi, quam et sigilli nostri impressione iussimus assignari, anno dominicae incarnationis 1135. Huius rei testes sunt: Eberhardus, Praepositus, Egilbertus, Decanus, Conradus Custos, et alii plures fide digni.

BER:

V. pag. 14

SLUB
Wir führen Wissen.

BERTOHLDUS ille habuit uxorem Bertham Palatinam Saxoniae, ex qua genuit filium Bopponem. Hic Bertholdus nobilitate avorum et strenuitate accinctus, post multa et praeclara facinora, in Ierosolimitano profectu, quietissimo fine terminatus est, anno 1157.
Bertha eius relicta, monasterium monialium Triestad de Vessera transtulit, et a novo erexit, anno 1177. Illud primitus in Vessera dicebatur Ecclesia S. Johannis Evangelistae, et incendio perierat anno 1175.

SLUB
Wir führen Wissen.

BOSSO tertius
SOPHIA.

Boppo ex uxore Ducissa Bavariae quatuor habuit filios. Henricum, quo fortior nemo fuit inter Teutonicos. Bertholdum, Bopponem & Ottonem Comitem in Bodenleuben, & filiam Elisabeth, quae desponsata fuit Comiti in Bichlingen, & Kunigundin, quam duxit Comes in Rineck.
Anno 1204. Philippus Rex Romanorum ingressus Thuringiam Hermannum Landgravium potenti manu coëgit, Bohemos territos fregit, instante Bertholdo comite in Hennenberk, qui Bertholdus obiit anno 1218.
Anno 1210. concertatio civilis inter Barones huius terrae, & comites de Hennenberk habita est, quae praeliis & incendiis devastata est.
Domina Kunigundis obiit anno 1237.



VACAT.

ELIZABETH
IUTTA
Boppo Quartus
obiit Ao 1245

Boppo iste habuit uxorem Juttam, relictam Marchionis Misnensis, et fuit soror Domini Landgravii Ludovici Mariti S. Elisabeth, qui adhuc vivens constituerat ipsum tutorem filii sui et filiae. Anno igitur 1223. 3. Non. Jan. idem pius Landgravius venit in castrum Nurnberk, in voluntate proxima feria 2da post Epiphaniam domini in gortzen placitum celebrare. Eodem tempore Boppo de Hennebergk Comes simulato negotio finxit se in Saxoniam profecturum, sed accedens dominam Juttam Marchionissam in Lips. feria 7. ante Epipha. domini cum ipsa contraxit matrimonium per verba de praesenti in Ecclesia S. Thomae Apostoli; inde rediens ad Landgravium Ludovicum in Naumbergk narravit et exposuit sibi de contractu sororis suae Marchionissae, invitavitque ad nuptias futuras. Ille haec audiens dissimulavit, nec nuptiis interesse promisit. Vicesima quoque die post biennium, mensis Julii, Dux Meraniae dolens et graviter ferens discordias inter pium Landgravium et sororem suam cum viro suo Boppone de Hennebergk, ipsos ad Nurnbergk vocavit, et habito consilio maturo et colloquio, ipsos concordavit, et amicitias veteres reformavit.

Prima vero uxor, quae secundo ponitur loco, de qua haeredem edidit, qui sibi in dominio successit, quoniam cum secunda sine liberis permansit, fuit domina Elisabeth, Ducissa Saxoniae, quae filium Bertholdum parturiit, postea Henricum, qui Episcopi Herbipolensis Hermanni de Lodenbergk Marschalcus fuit.

Gesta huius Bopponis.

Anno 1222. occupavit Meiningen, et incendio devastavit, quapropter Hermannus Episcopus Herbipolensis quasi totam provinciam Comitis ingressus devastavit et spoliavit. Anno 1228. circa festum Martini idem Boppo Comes de Hennebergk, et Eckbertus Episcopus Bambergensis convenerunt adversus Episcopum Herbipolensem Hermannum, et maximas eiusdem provinciae partes incendiis et rapinis vastarunt.

In dies

In die quoq Nicolai, Henricus Comes de Beichlingen, et Henricus Comes de Sternbergk, et alii plures, vene-runt in auxilium Hermanno Episcopo, egressi de Meinungen, volentes iterum devastare Dominium, occurrit illis Boppo de Hennenbergk in pugnam, et Henricus Comes de Beichlingen et alii plures capiuntur, Henricus de Sternbergk cum multis occiditur, cae-teriq fugam dederunt.

SLUB
Wir führen Wissen.

BERTOLDUS iste habuit uxorem nomine Kunigundam,
ex qua genuit Hermannum, qui Dominus in Strauf,
duxit uxorem Margaritam ortam de Hollandia, filiam
Regis Romanorum, de qua genuit filium dictum Bop-
ponem, qui duxit filiam Henrici ducis Bavariae
Sophiam, quae obiit Anno 1282. quiq. Hermannus
obiit anno 1290. in Ascha, et sepultus est in Fraau-
enrodt. Ipsa vero obiit die Parasceves anno 1277.
Henricum, qui duxit Sophiam Ducissam de Heideck.
Is Henricus obiit anno 1269. et ipsa Sophia sua con-
thoralis anno 1280. Bopponem, qui fuit Commen-
dator in Suevinfurth. Bertholdum, qui succesit,
de quo infra. Justam filiam, haec fuit desponsata
Ottoni Marchioni de Brandenburgk, nuptiaeq. cele-
bratae in Friburgk, die Severi Episcopi, anno 1259.

Gesta.

Hermannus et Henricus congregata militia, ingressi
provinciam Alberti de Hohenloh pene devastarunt
anno 1254. Idem Hermannus in die Parasceves Eccle-
siae Vesserа pro damnis suis advocatiae in Hart, et ter-
tiam partem decimae in Augstat dedit anno 1261. Is Her-
mannus senior obiit anno 1290. Post mortem Iringi
Episcopi Herbipolensis gravis dissensio in Franconia oritur
inter Comites de Hennenbergk et Nobiles de Hohenloh,
qui congregata militia Kisingen convenirunt in die S.
Cyriaci, bellumq. committitur, in quo multi ex utroq.
exercitu ceciderunt. Henricus de Schauenbergk occi-
ditur, Comes de Beichlingen capitur, et Hermannus
de Hennenbergk fugae praesidium iniit. Anno 1285.
plurimi Thuringiorum congregati, veniunt vastare
villulas circa Schwarza, quibus Comes Hermannus
occurrit, et gloriose triumphavit, in vigilia S. Martini,
occidendo et effugando. Carolus de Heldrit militia con-
gregata Comitivam Thuringiam intravit, et Guntherum
Comitem de Kevernburgk captivavit.

BER=

VACAT.

SOPHIA de Rhyensburg
Conjuncta Ao 1269. obiit 1280.

BERTHOLDUS
Tertius

BERTHOLDUS iste habuit uxorem Sophiam de Schwarzburgk, vulgariter die hoffertige dictam, de qua genuit tres filios, Bertholdum, qui moritur in monte Pessulano, qui mons est in Gallia Narbonensis provinciae, circa civitatem Agatopolim, de qua fuit S. Rochus. Alias ... montem Pessulanum esse civitatem Franciae. Huius ossa apportata sepeliuntur in Vessera anno 1289.
Henricum, qui duxit Kunigundim Comitissam de Wertheim, de qua genuit filiam Elisabeth. Hanc duodecennem desponsavit nobili viro Waltero de Barbesani, qui tunc fuit vicedominus illustris Principis Hermanni Marchionis de Brandenburgk per terram Franconiae tunc ad eum pertinentem, et nuptiae celebratae sunt in Koburgk, anno 1303.
Eodem anno praedictus Waltherus [illegible] Steinberk, cum suis pertinentiis comparavit [illegible] virum dictum de Grunachs, scilicet pro [illegible] millibus et quingentis libris [illegible].

BER=

HENRICUS ordinis Teutonicorum

SLUB
Wir führen Wissen.

XI. pag. 28

BERTHOLDUS IVdus.
obiit Ao 1329.

ALHEIDIS.

BERTHOLDUS iste venustissimus fuit Orator, et Secretarius Ludovici Quarti Imperatoris invictissimi. Illum ob praeclara sua merita viribus principum tam in ingressum quam egressum ad imperialem deliberationem insignivit, suosq haeredes omni iure, honore, gratia et privilegio omnium aliorum principum gaudere fecit, concessitq sibi et suis haeredibus aurifodinas, argentifodinas, salifodinas, et omnia alia metalla. Item, si quis adversus homines suos, cuiuscunq status, similiter quacunq causa civili vel criminali habuerit, coram ipso et suis haeredibus et nullo alio Iudice primitus [illegible]. Et quod ipse suiq haeredes castrum et dominium Herrenbergk tenentes, per tempora vitae viginti quinq personas Manseres vel spurios valeant legitimare, ad exercendum omnes arte legitimas, ac si legitime procreati essent. Decem creare Notarios per tempora vitae suae, et cuiuslibet haeredis sex creare Notarios. Acta sunt haec anno Domini 1310. prima die mensis Ianuarii. Huic fuit legitime ~~[illegible]~~ Domina Alheidis Landgravia Hassiae.

auctor falso habet 1330.

Gesta huius Anno 1304.

Gravissima dissensio inter praefatum Comitem Bertholdum de Herrenbergk, et Gualterum de Barbey Capitaneum Marchionis de Brandenburgk est circa festum Simonis et Iudae exorta. Nam in vigilia Simonis et Iudae praefatus de Barbey congregationem habuit, inter quos nobiles de Truhendingen et de Schlusselburgk fuerunt principales, Comes Bertholdus subito in ipsos irruit, et bello campestri prope villam Gamberstad victoriam gloriose obtinuit, et illum de Schlusselburgk cum viginti de melioribus cepit. Die sequenti praefatus de Barbey civitatem Schleusin-

singen hostiliter est aggressus, et in monte ibidem, qui
dicitur Colbergk tres nobiles militare fecit, Erla cum ce-
ris, allodium prope Vesser, cum aliis adiacentibus, in-
diis devastavit, eiusdemque diei vespera hospitem non in-
vitatum cum mille equis et amplius ad pernoctandum
in Monasterio Vesserano se recepit, ex quo Monaste-
rium damna plurima pertulit. Inde progrediens, des-
dendo flumen, quod Verra dicitur, omnes villas circum-
centes et ad Comitem pertinentes, incendiis devastavit,
et se ad pernoctandum in castellum Bibra dedit, de-
in vigilia omnium Sanctorum recedens intellexit, te-
rram sibi commissam sitam prope Hesburgk per mini-
stros praedicti Comitis Bertholdi incendiis devastari, ar-
ripiens cum eis certamen campestre in villa quae
dicitur Widersbach iniit, et per multitudinem suorum
victoriose triumphavit. Filium nobilem de Salfa a-
lescentem de Kuerit, Bertholdum de Bibra, comites, de
triginta alios captivavit. Praedictus Comes cum Sorori-
suo Landgravio veniens cum exercitu copioso terram
quae dicitur Krabfeld, aggreditur, nullo sibi resistente
per incendium reddidit desolatam. Veniens autem ca-
strum Wildbergk, in quo saepe dictus de Barbey tempore
Guerrae assidue morabatur, ibi capta arce Wildbergk
quinque nobiles de suis milites fecit, sicque decem diebus
tam iuxta Moganum castrum Mayenbergk, quod tunc
ad praedictum de Barbey pertinebat, quam circumque
civitatem Konigshofen et villas prope sitas perscrutava-
vit potenter devastando. Nec silentio transeundum cen-
quod anno Domini 1299. in vigilia Prothi et Hiacinthi
villa Obenrod nocturno tempore exuritur per quosdam
maleficos de Massenhausen, ob quam causam Comes
Bertholdus cum exercitu die sequenti invasit Eccles-
iam Bambergensem, vastans plures villas mirandis

incen

incendiis isto in territorio. Anno 1305. Comes Bertholdus comparauit castrum Meienbergk, a nobili Waltero de Barbey. Anno 1306. Comes ex parte Regis Rom. terrae Misnensi praeficitur. Anno 1307. Illustrissimus Comes Bertholdus in negotio Regis Romanorum in Bohemiam missus, de quibus 12. armigeri capiuntur et nobilis de Steinbergk occiditur. Ipse vero Comes bis vallatus euasit. Anno 1308. per Regem Rom. Albertum civitati Sueinfurth praeficitur. Eodem anno in die Tiburcii Vall. turris in Schleusingen per fulgura et tonitrua incendebatur, et eodem anno in die Seruatii turris in Hennenbergk ad terram corruit et certos oppressit, et lapides grandinis inauditae magnitudinis ceciderunt in pago Schleusingen. Eodem anno Marchio Brandenburg. dictus mit dem Pfeil, duxit sororem Comitis Bertholdi Juttam, quae antea habuit Landgravium Thuringiorum Theodoricum, qui obiit absque haerede, et legauit suas mansiones regi Romanorum. Huius terricolae elegerunt Fridericum Marchionem Misnensem pro domino. Item anno 1310. obiit Marchio Brandenburgensis mit dem Pfeil, et ipsa relicta tertio nupsit Duci de Breslau. Item Bertholdus anno 1322. donauit et fundauit Ecclesiam S. Aegidii in Smalkalden, et anno 1325. confirmauit Collegium duodecim Praebendarum. Idem anno 1308. tabulam S. Crucis deauratam cum 12. tapetis pretiosis, casulam purpuream, et aliam deauratam Dei honore atque monasterii decore transmisit. Iste Bertholdus post multa ac strenua facta obiit anno 1340. 15. mens. April. qui fuit dies Parasceues, venustissimus Almaniae Rhetor, ac Imperatoris Orator, vulgariter der Weise von Hennenbergk nuncupatus.

HEX.

BERTHOLDUS ordinis S. Johannis
Fundator Domus in Schleusingen.

SLUB
Wir führen Wissen.

a III. pag. 33.

HENRICUS Ius IUTTA.

ELISABETH
Landgrauia de Leuchtenberg
Filia Mariae Magdalenae
Ao. 1301.

HENRICVS habuit vxorem Juttam de Brandenburgk,
ex qua genuit tres filias, Sophiam, quam Albertus
Burggrauius in Nurnbergk sibi desponsauit, quod postea
Schmalkaldii dominae Elisabeth relictae Comitis Johannis
fratris praefati Henrici vendidit. Catharinam, quam
duxit Fridericus Marchio in Missen, sicut [illegible] car-
tulae scribunt, quibus minime confido, sed [illegible]
fateor, illam Comiti Eberhardo de Wurtenbergk despon-
satam, de quo in Chronica regre fol. Elisabeth illam
duxit Fridericus Marchio in Missn. vti chronica apud
praedicatores in Isenach edocent, quod calicem fieri
fecit domina Elisabeth, relicta domini Friderici Mar-
chionis Misnensis, anno domini 1336. Illa etiam
Elisabeth ordinauit, quod Canonici de Ortorf etc.
transtulerunt ad Gottam, anno 1345. Ibidem Epi-
taphium sepulcri eius probat, in cuius circuitu
sic scriptum inuenitur: anno 1359 undecima Cal.
Septembris obiit inclyta Domina domina Elisabeth,
relicta Illustris Principis ac domini Friderici Senioris
quondam Landgrauii Thuringiensis ac Marchionis
Misnensis, cuius anima requiescat in pace.
Insuper multa tapetia Gallinis depicta ibi cernuntur.
Ut legi in Chronico, magna discordia fuit exorta
inter Fridericum Marchionem et Henricum Comitem
de Hennenbergk, eo quod prius concluserant fide data
in Wassenburgk, quod filius Marchionis Fridericus
ducere deberet filiam Comitis de Hennenbergk, et ei
donare Coburgk, et alias ciuitates. Hoc Marchio
retractauit, et castrum Comitis Scharfenberk obsedit,
et expugnasset, si Comes eum vi non repulisset. Tandem
composuerunt se amabiliter, et Marchio duxit filiam
Comitis in Hennenbergk, et post mortemque ipsius Comitis
accepit terram illam in Franconia. Dicta Elisabeth
est

est sepulta in Isenacensi Ecclesia, cum decenti hone-
state, cuius anniversarius ibidem celebratur in per-
petuum.
Iste Henricus obiit sine virili haerede anno
complevit inceptum Patris sui opus collegiatae Ecclesiae
Smalkaldiae. Post mortem eius Jutta relicta sua divi-
debat Dominium cum Comite Johanne, et ipsa pro se
et filiabus adepta est castrum Coburgk, et civitatem
Hoënstein, Hildbergk, Strauf, Koenigshofen, Stern-
bergk, Wildbergk, Rottenstein, Koenigsbergk, Irmels-
hausen, Murstad, Kissige, Schimau, Schildeck, Smal-
kalden, Hilperhausen, Eisfeld, Neustad, Rottag, Umer-
stad, et adiacentia cum suis pertinentiis. Et haec
divisio concessa fuit praedictae Juttae ad vitam, sed
per ipsam cum filiabus alienata. Johannes, Comes, fra-
ter Henrici supra dicti per divisores consecutus est
pro sua hereditate, Hennenbergk, Masbach, Kos-
dorf, Northeim, Folkerhausen, Frankenbergk, Wasun-
gen, Schleusingen, Themar, Meybergk, cum eorum
pertinentiis. Heu quam fraudulenta divisio. Acta
sunt haec Anno 1347. Iste Johannes filius Ber-
tholdi et frater Henrici, fuit amicus cleri bonarum
virtutum, et ex uxore Elisabeth Landgravia de
Leuchtenbergk tres habuit filios, et duas filias, Vol-
marum, qui obiit sine uxore, Albertum, qui habuit
dominam de Stalbergk, et Henricum, qui successit.

Anna.

Anna, quam duxit Comes de Hohenloh, et Elisabeth, quam duxit Comes in Anhold. Et post virtuosam vitam obiit anno 1378. relicta vero sua Elisabeth per reemptionem a Sophia filia Henrici, de qua supra, adduxit Schmalkaldensem civitatem in pristinum principatum Comitatus de Hennenbergk, et ipsa Domina Elisabeth obiit anno 1361. die S. Mariae Magdalenae.

Hen.

HENRICUS.
obiit Ao 1405 d. 9. Aug.

MECHTILDIS
obiit die Sixti Ao 1425.

HENRICUS iste vir totus bellicosus fuit, natus anno
1352. duxit Mechtilden Marchionissam de Baden,
ex qua genuit Eucharium, qui obiit sine uxore,
Bertholdum Episcopum Magdeburgensem, Wilhelmum,
qui sibi successit. Insuper tres filias, Mechtildem,
quae desponsata fuit Gunthero Comiti de Schwarzen-
burgk. Elisabeth, quam duxit Fridericus Comes de
Hennenbergk, Margaritham, hanc duxit Guntherus
in rauis, et Annam dominam in Heideck.
Obiit autem iste Henricus anno 1405. 3tia Augusti
post meridiem hora undecima. Et ipsa Mechtildis
obiit anno 1425. die [illegible].

WL.

WILHELMUS I.
ANNA
obiit Ao 1426

WILHELMUS hic habuit ex ducissa de Brunsvick duos
filios et sex filias, his nominibus et ordine: Wilhelmum,
qui successit, Anna, quae statim obiit, Metza, Marga-
reta, Anna, Henricus, Agnes, Adelheidis, cum hac
in puerperio magna infirmitate percussa pie obiit anno
1426.
Generationes istorum luculentius reperi ut sequitur:
Wilhelmus natus est feria 5. post Laetare anno 1415.
Anna nata est anno 1416. et sepulta est in choro
Schmalkaldiae.
Metza, in vigilia Annunciationis, quae erat Parasceve
anno 1418.
Margaretha, Dominica Esto mihi anno 1419.
Anna, dominica in Septuagesima, anno 1421.
Henricus, sexta post oculi, anno 1422.
Agnes dominica post Matthaei, anno 1425.
Adelheidis, quarta feria post Michaelis, anno 1426
post cuius generationem mater in puerperio obiit, in
vigilia Simonis et Judae, et dominica proxima sequenti
obiit filia Adelheidis. Anno 1427. feria sexta ante Pal-
marum, civitas Schmalkaldiae spopondit fidelitatem
iuramento maiori Comiti Wilhelmo et eius fratri
Henrico.
Wilhelmus vero maritus eius obiit in profectione ad
terram sanctam in praelio Cypri regis contra Sara-
cenos, anno 1425.

WIL.

VACAT.

XVII. pag. 4?

WILHELMVS iste ex Catharina Comitissa de Hanau relicta Thomae Comitis in Rineck, tres propagavit fil[ios]. Primus fuit dictus Wilhelmus, quem genuit Catharina in die Gregorii Papae anno domini 1434. Secundus Johannes, quem peperit in die Visitationis Mariae anno 1439. qui Abbas Fuldensis effectus, rexit laudabiliter Ecclesiam annos 36. Fuldensem, et obiit anno 1513. 20. Mensis Maii, qui fuit 6. post Pentecostes. Et anno 1443. peperit tertium filium Bertholdum, die S. Erhardi. Hic Bertholdus vir magnae virtutis et strenuitatis, Canonicus Bambergensis, Herbipolensis, Argentinensis, Coloniensis, Ecclesiarum dignissimus fuit, qui ob salutem animae suae plusquam decem mille florenos in testamento suo passim legavit, quorum mille Monasterium Vessera, Collegiata in Schmalkalden, et domus S. Johannis Minoritarum in Schleusingen, divisim receperunt. Hic post multa laudabilia virtutum opera in pace requievit anno domini 1495. 20. Aprilis.

Epitaphium domini Bertholdi Comitis.

Ingenuus et merito Comitem charissime proles
Hennbergk Bertholdum fata tulere suum.
Proh generis splendor periit, reverentia fratris
Ecclesiae Coloniae, Bambergae, Herbipolis, Argentinae simul.
Lugent Pontifices, Proceres, plebs denique cuncta,
praesidio quoniam nunc caruere suo.
Mitis, mansuetus, prudens ac religiosus,
Principibus gratus spe meliore fuit.
Vivat in aeternum, Dicat, rogo, quisque viator,
scandat ad aethereos umbra beata polos.

Anno

Anno Domini 1444. genuit dominam Margaretham,
die S. Gereonis, et Soc. eius, cum qua nuptias celebrabat
Guntherus de Suartzeburgk, die Columbarum in Arnstad,
anno 1458.

Gesta huius Wilhelmi.

Anno Domini 1442. quidam Reinhardus de Haun, certos
homines huius Wilhelmi incarceravit, ob id Comes cum
exercitu copioso arcem suam Haun circumvallavit, et
in die Convers. S. Pauli obtinuit expugnavitq. Raptorem
istum cum filio Philippo captivavit, et suos ibidem in-
carceratos liberavit, cum triumpho nobili et ad pa-
triam secum gaudiose adduxit. Anno 1444. in vigilia
idem ab apro silvestri graviter sectus, spiritum in die
S. Erhardi in domino emisit, et ad dominum, utinam
feliciter, migravit.
Anno 1459. Domina Catharina de Hanau in castro
Marfeld obdormivit in die S. Christophe. Anno 1437.
obiit domina Margretha filia istiq Wilhelmi desponsata
Gunthero. Anno 1446. magna seditio facta est inter
Comitem Henricum, et Comitem Wilhelm, post obitum
istiq iam dicti Wilhelmi, pro successione Dominii,
quod Henricus frater defuncti habere affectabat,
et Johannes iam Abbas Fuldensis, et Bertholdus Cano-
nicus effectus. Solus Wilhelmq supererat, Mater
vero Catharina potenti fideliq manu resistebat, et
Dominium filio suo Wilhelmo obtinebat.

Wil.

WILHELMUS III.
[illegible] clari Wilhelmi nomen ad astra,
quem laudare satis nulla Camoena potest

MARGARETHA

WILHELMUS iste, anno aetatis suae 35. post
Christum incarnatum anno 1469. in die Theodori
Martyris, et matrimonialiter sibi copulavit dominam
Margaretham, filiam Ducis Henrici de Brunswick
et Luneburgk. Anno Domini 1470. feria secunda
post Martini, eadem Domina praesentata fuit ad
Schleusingen cum magna solennitate, ex qua
genuit [illegible] Has, qui brevi vixerunt tempore.
Wilhelmum [illegible] Wolfgangum, Bopponem,
[illegible] et Catharinam, [illegible] anno 1478. peperit
[illegible] Wilhelmum, qui sibi successit, feria
[illegible] ante Esto mihi, et anno 1479. filiam Mar-
garetham, quam [illegible] Bernhardus in Sonne-
[illegible] in puerperio anno 1510. Iste Wilh. [illegible]
post multas [illegible] longissimas [illegible],
quas [illegible] exercitat, [illegible]
in Bohemia, in [illegible]marchia, in Misnia, in Fran-
conia [illegible] et [illegible] praebendo contra Marchi-
nem pro [illegible] Christiani, in peregrinatione terrae
sanctae, et [illegible] in frequentatione liminum
sanctorum Petri et Pauli [illegible] in redeundo prope
Salerna [illegible] feria sexta post festum Pentecostes, sepultus in
[illegible] prope anno 1480.
Et anno sequenti [illegible] ex charitate [illegible]
suae [illegible] tumulatum
in Vesera.
Anno Domini 1500 obiit illa Domina Margaretha
sua [illegible] altera Valeriana, in vigilia S.
Valentini, in [illegible]berck, et juxta virum suum
Wilhelmum sepulta, sexta feria ante Esto mihi,
de qua [illegible] matrona tria memoria digna considero,
Primum, quarto die, quo Dominum suum Comitem
Wilhelmum [illegible] ad Veseram adduxit, scilicet
[illegible] Esto mihi, eo etiam die vigiati
octo

octo annis transactis, quibus in viduitate supervixit,
ipsa exspiravit. Secundum, die scilicet tertia, qua
sanctam Annam honorare consueverat, eo etiam
die ipsam divina pietas ab hoc seculo requiem eripe-
re decreverat. Tertium, eo die, quo filium, scilicet
quinta ante Esto mihi, de quo utero parturivit, eo eti-
am die idem filius de castro suo Meyenbergk ad sepe-
liendum euexit.

SLUB
Wir führen Wissen.

WILHELMUS iste anno Domini 1478. quinta ab
Esto mihi natus, a reuerendo Patre et Domino Rodol-
pho Episcopo Herbipolensi, Wilhelm Schenck de Lim-
Decano Ecclesiae Herbipolensis, validoq Domino Hen-
rico de Brandenstein, et nobili Domina N. conj.
Caspar de Veldenbergk, a sacro fonte leuatus. An.
aetatis suae . . . ad Palatinum Rheni Heidelbergam
tanquam suum tutorem, directus aulice cum ...
re Palatino alitus, 5. feria ante festum Kiliani, ...
tusq atq decimo quarto aetatis suae anno, ...
patriam terram arripiens, vna cum illustri ac ...
honestatis nobilissima matre Domina Margaretha ...
sa de Brunswick regnare coepit, usq adolescens 21. ...
annum, quo secunda feria post divisionis Apostolorum
anno Domini 1499. in noua ciuitate prope Eysch, ...
monium per verba de praesenti cum illustri Domina Domina
Anastasia filia Marchionis Alberti Brandenburg...
in praesentia ducis Johannis de Saxonia et Land...
vii Hassiae Wilhelmi plurimorumque contraxit, e...
loco, secunda feria post Valentini anno 1500. in f...
cie Ecclesiae, cum maxima pompa Ducum, Comit...
ac militum solennisauit, et ipsam nobilissimam c...
iugem suam magno cum plausu, Dominica post P...
Cathedrae ad Schleusingen adduxit, quae ingent...
totiq Dominii, Praelatorum et Prouinciae gaudio ...
cepta. Et notandum, quod Domina Anastasia
nata anno 1480. feria quarta post Palmarum, ...
cum Comite Wilhelmo ramos praeclaros successu tem-
ris propagauit, produxit, et in lucem edidit. Nam ...
1500. in vigilia Nicolai primogenitum filium Comitem
Wilhelmum, intra decimam et undecimam horam ...

pran...

Ist von einem schönen Original-Conterfait ganz eigentlich copiirt.

prandium, hora Jovis in signo tauri, genuit, quem Reverendus dominus dominus Ernestus Episcopus Magdeburg. et Primas Almaniae, per Comitem Ernestum de Honstein iuniorem, Domina Margaretha Ducissa de Brunsvick, et validus Jasper de Vortenbergk e sacro fonte leuauerunt, et obiit secunda feria post Conuersionis S. Pauli anno Domini 1503.

Anno d. 1502. dominica post conuersionis Pauli, intra quartam et quintam horam post meridiem, quasi in medio Veneris et Mercurii ac signo Scorpionis, genuit Annam primogenitam. Hanc Domina illustris Anna Marchionissa Brandenburgensis mater dominae Anastasiae per dominam [illegible] Wildenfels, de sacro fonte leuauit.

Anno 1503. Dominica Misericordias domini quae fuit 30. mensis Aprilis, inter quintam et sextam horam post meridiem, hora Mercurii genuit Comitem Johannem cuius patrini fuerunt Johannes Abbas Fuldensis [illegible] de Hennenbergk.

Anno 1507. quinta post Trinitatis quae fuit [illegible] hora 6. post meridiem [illegible] in 14. gradu geminis, et luna in signo capricorni propagauit Comitem Wolfgangum [illegible] patrini fuerunt [illegible]

Anno 1508. secunda feria [illegible] hora [illegible] post meridiem, sub signo sagittarii, et hora Mercurii Dominam Margaretham in lucem edidit, quam dominus Hermannus de Kirchbergk Coadiutor Fuldensis, Domina Margaretha, legitima [illegible] de Herbergk, et Domina N. uxor Caspari de Wildenfels, de sacro fonte leuarunt.

Anno 1509. nata est domina Catharina.

Anno 1510. sexta Julii, quae fuit octaua Corporis Christi,

pepe-

peperit filium, Comitem Christophorum. Hunc Erne-
stus Episcopus Magdeburgensis in propria persona
de sacro fonte levavit.
Anno 1511. die 27. Maii, quae fuit tertia post Rogationum
genuit filium, nomine Georgium Ernestum, cuius patri-
Reverendus Pater et Dominus Georgius de Limbergk, Episco-
pus Bambergensis, effectus est.
Anno 1512. 23 mensis Maii, quae fuit dominica Exaudi,
genuit filiam Dorotheam, quae obiit.
Anno 1513. 20. mensis Septembris, quae fuit vigilia Mat-
thaei Apostoli, genuit Popponem, intra primam et se-
cundam horam post meridiem, sub hora Jovis. Hunc
Marchio Fridericus de sacro fonte levavit, et cum
Abbas Chilianus de Bildhausen, die Michaëlis.
Anno 1515. sexta Novembris, quae fuit tertia post omni-
um Sanctorum, intra sextam et septimam horam
ante meridiem, Luna et Sole existente in signo Scor-
pionis, et Saturni, Comitem Caspar genuit. Huius
patrini Wolfgangus de Schonburgk, Dominus in Glau-
cha, a reverendo Patre Alberto Episcopo Moguntinen-
si ac Magdeburgensi missus, et Gaspar de Bembel-
bergk, ac domina Margaretha de Gleichen, Com-
tissa de Honstein, vidua in Saalfeld, fuerunt. Regene-
ratus 20. Nov. quae fuit dominica ante Adventum,
et dies S. Catharinae, et obiit die Apolloniae, fere circa ho-
ram noctis nonam, ao 1517.
Anno 1516. 31. octobris, quae fuit vigilia omnium San-
ctorum, intra secundam et tertiam horam, quae fuit
hora

hora Martis, Sole existente in 17. gradu Scorpionis, et Luna in aquario, edidit in lucem Dominam Walburgin. Huius patrini fuerunt Reverendus pater et dominus, dominus Johannes Abbas in Feilsdorf, Domina . . . . . . Dies regenerationis fuit ipsa die Leonhardi.

Anno 1517. 19. Decembris, quae fuit Sabbatho post Luciae, intra secundam et tertiam horam post meridiem, quae fuit hora Lunae, et Luna existente in ariete, gradu 27. et Sole in Capricorno, ascendendo gradus septem, peperit dominam Elisabeth, cuius patrini fuerunt, Reverendus pater, Thomas Abbas de Theres, domina regenerata 23. mensis Decembris.

Wilhelmus iste vir fuit mediocris ingenii, benignitatis et devotionis: et ne adulationis vitio arguendus posteris ero, quod utique abesse debet: Fuit revera egregiae indolis, ingenii optimi, divinarum rerum diligens cultor, querulantium pius consolator, non arrogans in vestibus, non preciosus in refectionibus, benevolus et affabilis in collationibus, prolixus in orationibus, ac divinorum auditor devotissimus. Huius monumenta sunt erectio Monasterii fratrum minorum in Schleusingen, anno domini 1502. dominica quarta adventus, decantatio horarum sacratissimae virginis in Themar, anno 1516. 30. Martii, quae fuit dominica Quasimodo inchoata, Expensarum pia largitio in maioris campanae Schleusingensis Baptisatione, et Monasteriorum Frostad, nec non amborum Breitingen reformatio, ac laborantium omnium ubera annum in organo constructione liberalissima nutritio.

Est

Est etiam testis Ecclesiarum beatae Mariae Virgi-
nis in Grimmenthal, et S. Wolfgangi in lacu Her-
mansfeld decor et splendor. Et consiliarios deum
timentes, et avaritiam detestantes, iuxta Scriptu-
rae sententiam Exodi 18. delegisset, et certos, qui
magis patriae destructioni, quam gubernationi, dis-
cordiarum incitationi, quam pacis conservationi, et
raptorum, uti fama fuit, defensioni quam exstirpationi
intenti fuerunt, exclusisset, sua decrescentia mini-
me fuisset visa, cum non vidi iustum derelictum, nec
semen eius quaerens panem; utinam more Constan-
tini, qui ait, quod fidelis potest esse nemini, qui infide-
lis est deo patri, malos istos consiliarios repulisset, cum
Principem non solum decet esse deicolam, sed etiam fa-
miliam habere honestam, consiliarios sapientes, De-
um timentes, iustaque suadentes, ac principem ad mi-
sericordiam et clementiam inducentes, Insuper cum
Gregorio Nazianzeno intrepide dicentes, gladius tibi
datus est, non tam ut opereris, quam ut comineris.
Quid delectare saeva catenarum, (secundum Sene-
cam) multum sanguinem effundere, terrere adspec-
tu, quaenam haec vita, quam si Leones regnarent?
parcere subiectis et debellare superbos. In hac Ro-
mani subiectione honorem et gloriam adepti sunt,
sed heu, haec et similia consiliarii sui, quorum
nomina obticere par est, huic a natura bono Prin-
cipi minime consulti sunt, sed iusta suadentes sibi
et vera supplantaverunt mentem Principis et impor-
tune a clementia averterunt, incenderunt et in-
fecerunt, ita ut Schleusingen libertate sua priuare-
tur, et perpetuae mulctae subderetur. O quam per-
versi

versi consiliarii ê Satanici filii, ubi oratio? ubi iustum ê sanum consilium? dicite causam, ferte ad medium culpam, ê, si affirmaveritis, eos in clientem insurrexisse, culpam esse, respondendum dignum censeo, id merito ê iuste, nonne vim vi repellere licet? numquid cliens contra principis decretum pugionem ferre ausus est? nec ad requisitionem deposuit? Imo vim famulo civitatis mutilando ê cruribus vulneratis ad terram corruendo intulit, quodq. ipsis civibus videre ê cum patientia ferre molestissimum fuit, impune ad vim vi propulsandam conati sunt! O impium consilium vestrum, quod strictissimum divinum iudicium nec subterfugiet, sed ultionem absq. misericordia excipit.

Gesta huius Wilhelmi.

Anno 1503. grave ê internecinosum bellum exortum fuit, inter Albertum ducem Bavariae, cui Rex Romanorum ê quasi totum imperium Romanum adhaerebat, ex una, ê Rupertum filium Philippi, Ducis Bavariae ê Palatini Rheni, ex altera. Attendens Comes de Hennenbergk Wilhelmus, piam educationem suae infantuli aetati gloriose exhibitam, elegit potiq. apud Regiam maiestatem periclitari, quam suo benefactori ingratus videri. Ob id cum equitibq. armis bellicis ê bombardis, Duci Philippo ê filio suo Ruperto auxiliando venit. Cuiq. profectionem

nem Nurnbergenses impedire armata manu bombardarum terribilibus ictibus conati sunt, neq praevaluerunt. Imo Comes Wilhelmus ad Ducem Rupertum adventans, strenueq per annum militans perseveravit, qua de re Maximilianus rex plurimum indignatus contra ipsum incanduit, et provinciam ejus debellandam Principi Wilhelmo Landgravio Hassiae Katzenelnbogen, Dietzen, Ziegenhein, et Nidt, demandavit et regia auctoritate in feudum concessit. Id revera gestum fuisset, si nobilis genere, sed nobilior probitate, virtutibus, Comes de Waldenstein, ac ulterius cuiusdam probi hominis intercedens consilium impedimento non fuisset.

* * *

biß hieher gehet dieses Manuscriptum. ob es complet sey, ist nicht zu sagen. Es ist es auch an etlichen Orthen von dem Schreiber gar falsch geschrieben, welches man zwar in gegenwärtiger Copia zuweilen verbeßert, zuweilen aber laßen müßen, wie man es gefunden hatt.

SLUB
Wir führen Wissen.

Msc. Dresd.
K 94.

SLUB
Wir führen Wissen.

SLUB
Wir führen Wissen.

SLUB
Wir führen Wissen.